

designatis et censu pro debitis capituli tam in argento quam in annona exsoluto superfuit hoc dividebatur inter canonicos prebendatos presentes seu de licencia capituli absentes secundum morem capituli notum. Predicta fuerunt sic observata in ministrando et aliis toto administracionis Nicolai prepositi tempore exceptis septem vel circiter annis, quibus propter rapinas incendia captivaciones et diversa dampna bona et homines prepositure ad talem devenerant effectum, quod secundum predictum modum non poterat fieri perfecta ministracio prelatis et aliis, de quibus specificè est premissum. Item a dictis septem annis vel circiter fuit prelatis et aliis premissis ministracio facta de prepositura sub tali modo, quod ea, que proveniebant de fructibus proventibus et censu denariorum et eciam exuviis, quamvis de illis parum fuerit habitum illis temporibus propter hominum paupertatem, simul computabantur et competens numerus prebendarum non omnium sed habita racione presencium canonicorum et absencium habencium licenciam secundum quod prepositus et capitulum tunc concordabant computabatur et pro preposito decano et aliis illis videlicet, quibus ut secundum quod premissum est in aliis annis plene ministrabatur, et quilibet propter defectum premissum non poterat illis annis plene ministrari, dabatur secundum partem seu quotam ac ratam porcioni, quam simul positis consuetis ut premissum est ministrari habebat quisque de redditibus et censu in prepositura, et ita fiebat in ministracione prebendarum non omnium sed earum solum quo sub numero, in quo concordabatur, comprehendebatur habita consideracione ad presentes seu residentes pro illo anno et absentes de licencia capituli, et ita fiebat eciam in ministracione pro prebendis mortuorum. Sed in ministracione pro prebendis residencium seu ut premittitur de licencia capituli absencium in numero, super quo concordabatur, comprehensis habebatur racio habitorum per capitulum in exsolucione census debitorum et illorum, que provenie-